



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Theologia Moralis

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

**Busenbaum, Hermann**

**Coloniæ Agrippinæ, 1707**

Q. 238. Quid veniat nomine carniū, & quinam teneantur præcepto ab illis abstinendi.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42561**

quod etiam dicunt *Bonac. Laym. n. 13. Castrop. n. 9.*, si fecerit inadvertenter vel nesciens esse jejunium: imò putant *Vivald. Dian. R. 53. flls. t. 4. d. 1. n. 43.* in sequentibus comestionibus nequidem venialiter peccare, & idem cum aliis dicit *Tamb. in Dec. l. 4. c. 5. §. 1. n. 5.*, si inadvertenter comedisset carnes: Rationem dant, quia tum amplius servari non potest jejunium, de cujus essentia est negatio secundæ refectionis & carni-um: sed tenendum est cum communissima sen-tentia peccari saltem venialiter, quia est contra finem legis, qui est mortificatio carnis: non esse autem plùs quàm veniale docet cum aliis proba-biliter *Less l. 4. c. 2. n. 17.*, quia cùm homines non soleant nisi bis comedere, quòd comedat sæpius, non videtur multum facere ad finem le-gis; nihilominus *Maj. Med. Montes. Covarr. Mo-lan. Sylv. Lo. h & alii multi* valde probabiliter di-cunt peccari mortaliter, quoties iterum sumitur plena refectio, quia notabilis mortificatio carnis, quæ est finis legis, adhuc obtineri poterat per negationem aliarum refectionum, nam si quis manè & in prandio se plenè refecerit, adhuc no-tabilis mortificatio est abstinere vesperi, uti fuisset notabilis mortificatio abstinere manè.

*Q. 238. Quid veniat nomine carni-um, & qui- 1266*  
nam teneantur præcepto ab illis abstinendi. *R.*

§. 1. Indicium animalis carnei est, si possit diu vivere extra aquam; item si magis simile sit animalibus habentibus carnem quàm non ha-bentibus: testudines tamen terræ & limaces, quamvis extra aquam vivant, non censentur caro, ita *Regin. Tamb. n. 10. Gob. in Quin. t. 5. c. 23. n. 122.* Idem dicit *Tamb. n. 12. de Viperis.*

Ecc 3

Pasq.



*Pasq.* autem cum *Gob.* dicit in dubio, an hoc animal constet carne necne, censerì posse non constare carne, quia est possessio pro libertate comedendi, quamdiu non constat esse prohibitum.

1267 §. 2. Licitè ministrantur carnes parvulis ante aut etiam post septennium, si careant usu rationis, uti habet communis cum *Dian. Delbene* de Imm. Eccl. c. 13. dub. 1. & 4. *Tambur.* n. 9. *Steph.* n. 98. contra alios relatos l. 1. n. 674. Nec obstat consuetudo contraria non dandi illis, nam si non teneantur ipsâ lege, multò minùs consuetudine: idem de perpetuò amentibus docent *Sanch. Fagund. Delben. Dian.* suprâ & p. 10. t. 12. R. 37. item p. 11. t. 2. R. 56. contra *f. Sanch.* Ratio est, quia parvuli & amentes non sunt capaces præcepti humani, cum nullam humanâ actionem exercere possint; quod magis valet de infidelibus, cum non sint subjecti Ecclesiæ: idem dicit *Tambu.* de amentibus in aliqua materia vel quoad intervalla, quando sunt in amentia, sed contrâ est, quia fatetur cum *Sanch.* dari non debere ebriis, idem autem est de his amentibus, & ratio quoad utroque est, quia cum simpliciter habeant usum rationis, comprehenduntur lege. Vide dicta l. 1. n. 676.

An Carthusiani aliquando possint aut teneantur vesci carnibus, videri possunt *Busenb.* relatus hic p. 1. n. 769. & *Sanch.* in Consil. l. 5. c. 1. dub. 34. Additque rectè *Boudew.* p. 2. q. 18., licet etiam in extrema necessitate constituti tenerentur abstinere à carnibus, posse nihilominus pro medicina sumere cornu cervi, ossa humana, ùgulas Alcis &c.

1268 Q. 239. An licitum sit, v. g. *Ambstolodami,* diebus Veneris comedere carnes. *Bz. Caram.* in Th. fund. affirmat, tum quia videtur esse præscriptio, quæ per